



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

CLIV. Die Markgrafen von Brandenburg, Otto und Albert, schenken dem
Kloster Broda den Zins von 6 Hufen Landes bei der Stadt
Neu-Brandenburg, die Fischerei in dem Ausflusse des Sees Liepz in den ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

CLIV. Die Markgrafen von Brandenburg, Otto und Albert, schenken dem Kloster Broda den Zins von 6 Hufen Landes bei der Stadt Neu-Brandenburg, die Fischerei in dem Ausflusse des Sees Piep in den Tollensee und das Dorf Wendisch-Nemerow mit der Mühle, am 10. April 1273.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis Amen. Ut ea, que aguntur in tempore, non simul cum tempore dilabantur, poni solent in linguis testium atque scriptis authenticis perhenuari, vt, si necesse fuerit, in eisdem memoria iocundetur. Hinc est, quod nos Otto et Albertus, Dei gracia marchiones Brandenburgenses, notum facimus vniuersis, tam presentibus, quam futuris, et tenore presentium protestamur, quod nos ecclesie sancti Petri in Brode et fratribus in eadem Deo seruientibus infrascripta bona donamus cum omni potestate et iure omnique vsufructu et omnimoda libertate, sicut eadem habuimus vsque modo, propria et perpetuo possidenda: censum videlicet sex mansorum sitorum in Noua Brandeborch ciuitate nostra, insuper et omnem utilitatem vsusque piscationum, quem habuimus in decursu aque desluentis de stagno Lipiz usque in stagnum, quod Tolense vulgariter nuncupatur, ita tamen quod dicta ecclesia siue fratres predicti in stagnis superius nominatis nullum ius seu vsum ulteriorem piscandi habeant, quam in suis priuilegiis contineatur desuper ante datis; insuper villam flauicalem Nemerowe cum suis agris attinentibus molendinumque in eadem villa situm, sicut ipsum habuimus usque modo. Ut autem hec nostra donatio per nos et fratrem nostrum Ottonem, minorem adhuc annis, et per succedentes nobis heredes nostros in perpetuum inuiolabilis perseueret et maneat inconvulsa, presentem paginam ex certa nostra conscientia sigillorum nostrorum appensione supradicte ecclesie tribui fecimus communitam. Huius nostre donationis testes sunt: Henricus de Wudensuege, Henricus de Heidebrach, Arnoldus de Gera, Olricus de Konigesmark, Fredericus Soneke, Hermannus de Carpzowe, nostri milites, et Bartoldus nostre curie notarius, canonicus ecclesie Lubuscentis. Actum et datum Stargarden, anno domini M^o CC^o LXX^o III^o, quarto idus Aprilis.

Nach Lisch, Meckl. Jahrbücher III, 217. 218.

CLV. Die Markgrafen Otto und Albrecht von Brandenburg verkaufen und verleihen den Grafen Ulrich und Albrecht von Regenstein die Schirm-Vogtei über das Stift Quedlingburg, welche ihr Vater, Markgraf Otto, von den Grafen von Blankenburg erworben hatte, ingleichen das kleine Schloß Lewenberg, am 11. Mai 1273.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Nos Otto et Albertus, Dei gratia Marchiones Brandenburgenses, notum facimus vniuersis, tam presentibus quam futuris, ac tenore presencium protestamur, quod nobilibus viris Comitibus de Regenstein, dominis Olrico et Alberto, aduocatiam in Quedelingebruch, vacantem et infeodatum, cum omni iure et utilitate, secundum quod eandem pater noster felicis memorie, dominus Otto, quondam Marchio Brandenburgensis, a nobili viro, Comite Sifrido de